

DECLARATIO.

autem materies illius ex laminis quæ dicuntur ferri albi, in quo dealbando opus est argento viuo cuius est refrigerare, in hac inquam fistula imponuntur liquores qui sacco cooperati item vasi non possunt calore affici.

PROPI. XIX.

Aliud vas genus, eiusdem fere usus cum primo, sed præterea hoc singulare habens, quod eodem si libet foramine impletur diuersis liquoribus, quo exauritur idque citra ullam ipsorum liquorum mixtionem.

Declaratio 19. figuræ.

Vno foramine nempe obthuramento vas istud impletur, & altero scilicet canali vacuatur hanc implendi & vacuandi rationem iuuat explicare, Primùm loco obturamenti sit canon in quo tres fistule reflexatæ in eo finiunt quarum singulæ, in singulis partes vas quod ad septentrionem est protenditur, huius vas tres sunt partes, nempe orientalis in quam exempli gratia vinum, media in quam aquam, occidetalis in quam oleum, fundere volumus; iam separatim infundibulo vicissim canalibus imposito infundam istos liquores, qui ut educantur ex vase inferiore canalem ad formam superioris mihi formabo, ut cum voluero unum habeam liquorem cum libuerit duos vel omnes, diligens faber facilia hæc putabit.

PROP. XX.

Nouum machinamenti genus prouoluendis & dimouendis lapidibus grandiusculis in aqua demersis ut deinde eum in locum adigi queant pali, ad reficiendum veterem, vel conficiendum nouum aggerem, seu portum seu pontem.

Declaratio 20. figuræ.

Offert se oculis nauicula machinam deferens, est enim potior pars illius trabs oblonga 2. m. 16. p. cui liber est motus inter duo illa tigella parallela quæ in parte Meridionali nauis stant, foramina enim ei apparentia ad statuendum tripodem qui ab ultima illius parte septentrionali 2. m. distat, in eo autem tripode pictor errauit nam caput erat faciendum mobile, rursus in parte extrema meridionali est in trabe feriū factū ut pedis pastoralis pars extrema esse solet, in quo cum lapis est mouetur nauis tripode immoto, sed illius capite mouente sic ut loco moueatur lapis, perticæ autem apparentes ita fabricatae sunt ut nauis retineatur, reliqua sunt facilia.

PROP. XXI.

Nouum artificium ad repurgandum, omnem colluuiem, & farraginem herbarum, & lapidum, & aliorum eiusmodi sordium, è portu pridem deserto aut stagno.

Declaratio 21. figuræ.

Ut in meridie sic in septentrione est tornus, in quorum funibus hæret contabulatio quatuor nixa doliis eaque ferens tornum, cuius funis trahit ferream denticulatam machinam farraginem arripientem. Huius machinamenti tota subtilitas est natatio aut eleuatio contabulationis. Omnia ex figura clara sunt.

PROP. XXII.

Nova ratio palorum cuiuscumque sint magnitudinis ad perpendicularum defigendorum in aquam, ad quas uis moles firmiter sustinendas, sine quis pontem aut arcem velut construere, aut mare inde auertere ubi commode portus extruatur.

Declaratio 22. figuræ.

Hoc machinamenti genus à cochleæ firmitudine pendet, defertur autem hæc machina nauis, estque illius compago triangulum scalennm rectangulum cuius basis à meridie ad septentrionem fertur, perpendicularis ab oriente ad occidentem, tertia ab angulo occidentis & meridiei ad angulum orientis & septentrionis, omnia clavis firmiter compacta, in hac ultima parte duæ apparent cochleæ in quarum exterioribus partibus hærent chordæ (hæ autem exteriores partes coguntur scissura trabium) quæ deinde arietibus qui ad meridiem sunt alligatae, eos eleuant, ita autem motus est constitutus ratione rotarum ut cum una pars exterior cochleæ admoueatur altera remoueatur. Reliqua patent ex figuræ lineamentis.

B. ii.